

innumeris hominibus singillatim præstitit pro causa, pro persona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?

41. Porro si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam; quia quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium [al; nimiam] istam nimietatem. Habet et facilem apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus iustificat, tam multa, tam sublimia cum eo et per eum operando. Felix cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam. Fuerit autem bono juveni suspecta juvenus sua; beatus quippe qui semper est pavidus: fuerit ei studium tantam virtutum plenitudinem quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare; sed et vita ejus, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentia exemplo carere non debuit. In quo servus Dei, etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quod servitio Dei et fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore inbecille illud **1080** reddiderit, ac pene inutile? Sed convuluit de infirmitate, et infirmus fortior et potens factus est. Virtus namque Dei vehementius in infirmitate ejus refulgens, extunc usque hodie digniorem quamdam apud homines ei efficit reverentiam, et in reverentia auctoritatem, et in auctoritate obedientiam.

42. Jam tunc enim ad opus prædicationis divinitus aptabatur, ad quod, ut supra dictum est (22), ex utero matris suæ cum testimonio divinæ revelationis olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodo, sed omni tempore conversionis, et subjectio- nis et prælationis suæ, ipso ordinante quo et agente, congruo ordine ad hoc instituebatur; et ignoraans quid de se fieret, non solum monastico, sed et omni ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primum quidem circa resuscitandum in monastico Ordine antiquæ religionis fervorem, primitias juventutis suæ dedicavit, exemplo et verbo in conventu fratrum intra septa monasterii ad hoc omni studio vacans. Postmodum autem, cum ad alium vitæ et conversationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, et, sicut dictum est, necessitas infirmitatis, et ordo necessitatis a communi eum conversatione conventus plus solito sequestraret, hæc prima cœpit esse occasio ut quasi hominibus de sæculo expositus, quorum jam ad eum multitudo magna confluebat, ipse etiam præsentiam suam liberalius eis ac liberalius commodans, verbum vitæ prædicaret. Cumque et longius aliquando a monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientia traheretur, et quocumque veniret, undecumque locuturus, de Deo silere non posset, et agere quæ Dei sunt non cessaret, sic in brevi apud homines

(22) Cap. 1, n. 2.

innotuit, ut Ecclesia Dei tam utili membro in corpore suo reperto uti ad quodcumque oportebat non dissimularet. Sed et licet a primo flore ineuntis ætatis, fructibus Spiritus semper abundaverit, ab hoc tamen tempore copiosius ei addita est, sicut Apostolus dicit, *manifestatio Spiritus ad utilitatem* (I Cor. xii, 7); sermo scilicet fecundior sapientiæ ac scientiæ cum gratia prophetiæ, operationes virtutum, et diversarum opitulationes sanitarum. Quorum quædam quæ certa narratione didici, qua fide a fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem et ipse legentibus resigno.

#### CAPUT IX.

*De miraculis per eum patris, et periculo arrogantia in eo mire per propinquos represso.*

43. Primum ergo signum hoc fuit, quod in manu servi sui mundo celebre Christus effectit. Cum aliquantos jam in Clara-Valle explesset annos, contigit, virum nobilem, et ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmitate (22\*), quod est oppidum proximum monasterio, graviter infirmari: qui, subito præoccupatus, amisit penitus intellectum pariter et loquelam. Unde et filius ejus Josbertus junior, et omnes simul amici, eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione et viatico vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem; neque enim tunc in monasterio erat. Venit, et invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, sed et motus lacrymis filii, simul et lugentium cæterorum, confusus est de misericordia Dei, et sermonem magnificum protulit, dicens eis: « Notum vobis est, quod in pluribus homo iste gravavit ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum. Si mihi creditis, ut ecclesiis restituantur ablata, et usurpata in gravamen pauperum consuetudines dimittantur, loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet sacramenta devotus. » Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exsultat: quidquid præcipit Homo Dei firmiter ei promittitur, et impletur. Cæterum frater ejus Gerardus, et Galdricus avunculus, non parum terri et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguunt, acrius invehuntur. Quibus breviter simpliciterque respondens: « Facile, » inquit, « facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. » Itaque post secretam orationem, ad oblationem sacrificii immortalis accedit. Quo offerente nuntius supervenit, **1081** qui indicaret præfatum Josbertum, libere jam loquentem, rogare obnixius ut Vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum Sacrificium venienti cum lacrymis et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit: et duobus post hæc aut tribus diebus vivens et loquens, ea maxime quæ præceperat Abbas sanctus, constituit sine ulla retractione servari. Sed et disposuit domus suæ, et ele-

(22\*) Gallice *La Ferté-sur-Aube*.

mosynas dedit: et sic demum Christiano more in bona spe misericordiæ Dei animam exhalavit.

44. Revertebatur aliquando Pater sanctus a pratis, et obviam habuit mulierem parvulum filium in brachiis deportantem, quem de longe attulerat ad eum, ab utero matris habentem manum aridam, et brachium tortum. Motus autem lacrymis matris et precibus, jussit puerum deponi; factaque oratione continuo signans puerum, et brachium et manum ejus, dixit mulieri ut vocaret filium suum. Vocavit illa infantem, et ille accurrit, et utroque brachio amplexatus matrem suam, sanus factus est ex ea hora.

45. Erant autem hujus beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his quæ audiebant et videbant de eo. Nec tamen more carnalium in gloriam elevabantur humanam, sed juvenili ejus ætati, et novæ adhuc conversationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus avunculus ejus, et Guido primogenitus fratrum, cæteros anteibant: ut ipsos tanquam geminos quosdam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant, verbis durioribus exagitantem teneram verecundiam ejus, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, et hominem mansuetissimum nihilque contradicentem, frequenter usque ad lacrymas impropriis et opprobriis affligentes. Narrare solet venerabilis episcopus Lingonensis Godefridus, sancti Viri et propinquus sanguine, et conversione socius, et extunc per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manus ejus fieri vidit, prædictum germanum ejus adfuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per Castrum-Nantonis (23) in territorio Senonum, et juvenis quidam, cujus pedem fistula occupaverat, prædicti Patris tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum, sanum eum atque incolumem invenerunt. Cæterum sæpe dictus beati Viri frater ne ipso quidem poterat compepsi miraculo, quominus increparet eum, et præsumptionis argueret, quod acquieverit tangere hominem: tanta siquidem charitate pro eo sollicitus erat.

#### CAPUT X.

*De aliis sanitarum beneficiis erga diversos præstitis.*

46. Circa idem tempus accidit ut avunculus ejus Galdricus, qui et ipse zelo simili ejus mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili obsecratione compellat ut sui miseretur, et opem sibi ferat quam cæteris consuevit. At ille, cujus spiritus super mel dulcis, primum leniter breviterque commemorans crebras super hujusmodi objurgationes ipsius, et opponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tan-

(23) Gall. *Château-Landon*.

dem [al tamen] manum imponit, et febrem abscedere jubet. Nec mora, ad imperium ejus reliquit eum febris, expertum in semetipso quod in cæteris arguebat. Idem quoque Galdricus cum in Clara-Valle aliquantos jam perageret annos, fervens spiritu, et totius boni æmulator, ex hac luce migravit: qui ante unam fere horam mortis turbatus ad momentum, et toto corpore terribiliter motus infremuit: sed ad pristinam serenitatem reversus, vultu deinceps placidissimo exspiravit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum hujus rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu noctis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, et in magna sese gratularetur felicitate locutum, demum interrogatus est, **1082** quidnam sibi voluerit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem quod ea hora duo spiritu nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent: unde territus ita contremuit, sed beato Petro accurrente ereptus, nihil sensit deinceps læsionis.

47. Longum esset cuncta narrare quæ super his qui ex hac vita discesserant, et eorum felicitate seu etiam necessitate, divina ei gratia revelare ab ipsis initiis consuevit. Unum tamen dixerim, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse commemorat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conversationis, et minus compatiens quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, et habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem quid sibi esset, quatuor lacertis [al. dilaceratis] sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus a facie Viri Dei, qui gravius ingemiscens, post tergum ejus clamavit: « Præcipio tibi, in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. » Et conversus ad orationem pro eo, et oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem noverat sanctitatem, eidem similiter subvenire monebat. Nec vero destitit, donec post paucos dies, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione, meruit consolari.

48. [Vir reverendissimus Humbertus, Igniacensis (23\*) postea cœnobii ædificator et primus pater, in Clara-Valle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, ut septies corruens una die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus in lectulo teneretur. Adveniens autem venerabilis Abbas, et sic inveniens virum, quem pro sua sanctitate speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, et ait: « Quid facimus? Eamus, oremus. » Ut autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tercentium obdormivit: qui sequenti die Dominica, de manu ejus Sacramenta (23\*) Vulg. *Ignny*, in diœcesi Remensi, fundatur an. 1127.



suscipiens, perfectam adeptus est sospitatem, ut nihil unquam deinceps tale pateretur.]

49. Circa hoc tempus in regno Galliae et finitimis regionibus fames invaluit: servorum autem suorum horrea Domini benedictio cumulavit. Siquidem usque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat. Sed et tunc quoque post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix usque ad Pascha sibi eam posse sufficere aestimabant. Cum autem emere vellent, sumptus non invenerunt, quod longe carius solito venderetur. Itaque ipso tempore quadragesimali, pauperum ad eos maxima multitudo confluit; quibus erogantes fideliter quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona usque ad messem ipsi pariter, et qui superveniebant pauperes, alacriter sustentabantur. Virum pauperem non longe a monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira et furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec vivere sineretur. Saepius denique et vocis usum, et sensum omnem corporis amittebat; iterumque redibat non ad vitam, sed ad mortem prolixiorum crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad Virum Dei in monasterio demorantem, et ei tragœdia miserabilis explicatur: qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem usurpasse, vocans duos e fratribus, ac te sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti ejus vaseculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti virtute, a læsione Christiani jubet dæmonem prohiberi. Factum est ut præcepit; et miserum hominem, post tantos cruciatus, fide perfecta perfectæ reddidit sanitati.

#### 1083 CAPUT XI.

*De miraculo epistolæ in imbre scriptæ, nec madefactæ, et aliis quibusdam stupendis.*

50. Frater Robertus, ejusdem sancti Viri monachus et secundum carnem propinquus, in adolescentia sua quorundam persuasionem deceptus, Cluniacum sese contulerat. Venerabilis autem Pater posteaquam aliquandiu dissimulavit, eundem fratrem statuit per epistolam revocare. Quo dictante, venerabilis Guillelmus, Rievallis postea monasterii primus abbas, in membrana scribens eandem excipiebat epistolam. Erant autem ambo pariter sub dio sedentes: ad dictandum quippe secretius septa monasterii egressi fuerant. Subito autem inopinatus imber erupit: et is qui scribebat (sicut ipso referente didicimus) chartam reponere voluit. Ad quem Pater sanctus: « Opus, » inquit, « Dei est; scribe, ne timeas. » Scripsit ergo epistolam in medio imbre sine imbre. Cum enim undique plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis, et quæ dictabat epistolam, schedulam quoque pariter conservabat.

(24) Et quidem ab auctore tertiæ Vitæ, ex cap. 6 infra.

(24\*) Foigny, fundatur an. 1121.

Et hæc quidem epistola ob tam grande miraculum, in codice epistolarum ejus a fratribus non immerito prima est ordinata (24).

51. Agebatur solemnitas quædam præcipua, et frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communionem suspenderat, notari timens, et ruborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam non poterat ad interiora trajicere, et diu multumque conatus, cum nullo modo prævaleret, anxius et tremebundus clausam ore servabat. Expleta denique hora orationis sexta, Patrem sanctum traxit in partem: cujus pedibus advolutus, cum multis ei lacrymis quod patiebatur aperuit, et aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum, confitentem absolvit, et ex eo sine difficultate recepit dominica Sacramenta.

52. In minimis etiam rebus magna per eum novimus contigisse. Venerat aliquando Fusniacum (24\*), quæ est abbatia una de primis quam ipse ædificavit, in Laudunensi territorio sita, Cumque novi ibidem oratorii dedicatio pararetur, ita illud occupaverat muscarum incredibilis multitudo, ut earum sonitus improbusque discursus gravem nimis introeuntibus molestiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit sanctus: « Excommunico eas; » et mane omnes pariter mortuas invenerunt. Cumque pavementum omne operuissent, palis ejicientes eas, ita demum basilicam mundaverunt. Hoc autem tam notum et tam celebre fuit, ut inter vicinos quoque, quorum ad dedicationem maxima multitudo convenit, muscarum Fusniacarum maledictio in parabolam verteretur.

53. In eo quoque monasterio, cui Charus-Loçus (25) nomen est, puerum quemdam, qui incessanter flebat et ejulabat, Vir sanctus osculo sanavit. Cum enim, per multos dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsum alloquens Pater sanctus monebat ut suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem confessione, subito vultum serenans, petiit a beato Patre sibi osculum dari. Acceptoque osculo pacis ex ore Sancti, in omni protinus pace quievit; et, lacrymarum fonte siccato, lætus et incolumis est regressus ad propria.

54. Exeunti aliquando Abbati post fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei pater obtulit, supplicans ut ei manum imponere dignaretur. Excusabat autem se Vir Dei, dicens non se esse illius meriti, a quo talia deberent beneficia postulari; claudis reddere gressum apostolicæ esse, non suæ (25) Charlieu, in diœces. Bisuntin, fundatum an. 1131.

#### CAPUT XII.

*De altercatione Bernardi cum diabolo. De sanitate per beatam Virginem ipsi reddita. Item de abbate Guillelmo ab eo sanato.*

virtutis. Victus tamen patris instantia, signavit puerum, ac dimisit. Qui ex ea hora convaluit, et intra paucos dies ab eodem iterum patre 1081 cum multa gratiarum actione reductus incolumis oblatas est Viro Dei.

55. Divertit aliquando nobilium cohors militum ad Claram-Vallem, ut viderent locum, ac sanctum ejus Abbatem. Prope autem erat sacrum Quadragesimæ tempus: et illi omnes fere juvenes dediti militiæ sæculari, circumibant quærentes execrabiles illas nundinas, quas vulgo tornetas (26) vocant. Cœpit itaque ab eis petere, paucos illos qui ante Quadagesimam supererant dies, ne armis interim uterentur. Quibus obstinato animo ejus acquiescere monitis renuentibus: « Confido, » ait, « in Domino, quod ipse mihi dabit inducias quas negastis. » Et accersito fratre, jubet eis cerevisiam propinari, benedicens eam, et dicens ut potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inviti præ amore sæculi, metuentes eum quem postea sunt experti divini virtutis effectum. Ut enim egressi sunt monasterii fores, mutuis sese cœperunt inflammare sermonibus, quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, et currente velociter verbo ejus, eadem hora reversi et conversi a viis suis, spirituali militiæ dextras dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo, quidam autem cum eo jam regnant, carnis vinculis absoluti.

56. Quid autem mirum quod devotus hunc hominem colit obsequiis major ætas, in cujus devotionem divina virtus ipsam quoque infantiam excitat expertem adhuc rationis, et devotionis ignaram? Norunt multi illustrem juvenem Waltherrum de Monte-Mirabili (27), cujus patruus frater Waltherrus, inter eos quos prædiximus milites, sacram in Clara-Valle militiam est professus. Hunc ergo Waltherrum juniorem, cum adhuc infantulus esset, et necdum ab ortu suo mensem tertium explevisset, mater [al. esset, adhuc anniculus sola posse cognoscere ubera cognosceretur, mater, etc.] sua benedicendum obtulit Viro Dei, gratulabunda et exultans quod in domo sua hospitem mereretur habere tam sanctum virum. Cumque Vir Dei, sicut semper et in omni loco facere consueverat, de salute et in ædificatione animarum ad circumpositos loqueretur, prædicti mater infantis tenens eum in gremio, sedebat secus pedes ipsius. Accidit autem ut inter loquendum aliquando manum protenderet, et apprehendere eam conabatur infantulus. Advertitur tandem conatus parvuli, cum sæpius id fecisset; et mirantibus universis datur ei facultas ut manum possit apprehendere quam optavit. Tum vero mira admodum reverentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam, tulit ad os suum, et osculatus est eam. Neque id semel tantum, sed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permissus est.

(26) Gallice *tournois*.

57. Infirmabatur aliquando Homo Dei, et velut rivulus quidam phlegmatis incessanter ab ejus ore fluebat. Unde exhausto corpore usquequaque deficiens, paulo minus ad extrema devenit. Convenerunt itaque filii et amici ejus velut ad exsequias tanti Patris: et ego ipse inter cæteros adfui, quod me quoque ejus dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem et Satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus, et Viro Dei esset pro sua parte dicendum, nil terribus aut turbatus, ait: « Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vindicans, non confundor. » In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, et Homo Dei in se reversus est. Cumque ex hoc magis dissolutionem sui corporis imminere speraret, visio altera longe dissimilis est secuta.

58. Siquidem velut in littore quodam positus videbatur 1085 sibi navem quæ se transveheret expectare: cumque applicuisset navis ad littus, festinabat ingredi, et illa cedens impingebat in aquam. Usque tertio ita faciens, tandem relicto eo navis ibat, et non revertebatur. Intellexit autem protinus necdum tempus suæ migrationis adesse. Adhuc tamen crescebat dolor, eo utique magis molestus, quominus jam eum spes imminentis exitus solabatur. Contigit autem advesperascente jam die, ut cæteris fratribus, juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio in quo jacebat. Cumque vehementius affligeretur, et supra vires dolor exresceret, advocans alterum e duobus, jubet citius oratum ire. Excusantem denique et dicentem, « Non sum ego talis orator; » obdientiae auctoritate, compellit. Itum est, et oratum ad altaria, quæ in eadem basilica erant tria. Primum, in honore beatæ Dei Genitricis: duo circumposita, in honore beati Laurentii martyris, et beati Benedicti abbatis. Eadem igitur hora adfuit Viro Dei prædicta beata Virgo, duobus illis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, et beato Benedicto. Aderant autem in ea serenitate et suavitate quæ eos decebat, et tam manifeste, ut ex ipso introitu cellulæ, personas quoque discerneret singulorum. Imponentesque ei ma-

(27) Vulg. *Montmirail*.



nus, et loca doloris actu piissimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt. Siccatas est enim illico phlegmatis riyus, et dolor omnis abscessit.

59. Cum autem et ego ægrotarem aliquando in domo nostra, et jam me nimium fatigasset et attrivisset in longum nimium se protendens ægritudo, audiens hoc misit ad me fratrem suum, virum bonæ memoriæ Gerardum, mandans me venire ad Claram-Vallem, spondens me ibi cito aut curandum, aut moriturum. Ego vero quasi divinitus accepta vel oblata facultate, seu apud eum moriendi, seu aliquandiu cum eo vivendi (quorum quid maluerim tunc, ignoro), profectus statim sum illuc, quamvis cum nimio labore ac dolore. Ubi factum est mihi quod promissum fuerat, et, fateor, sicut volui. Reddita quippe mihi sanitas est a magna et periculosa infirmitate; sed paulatim vires corporis redierunt. Deus bone, quid mihi boni contulit illa infirmitas, feriæ illæ, vacatio illa? Ex parte id quod volebam! Nam et cooperabatur necessitati meæ toto illo tempore infirmitatis meæ apud eum infirmitas ejus, qua et ipse tunc temporis detinebatur. Infirmitas ergo ambo, tota die de spirituali physica animæ conferebamur, de medicamentis virtutum contra languores vitiorum. Itaque tunc dissuerit mihi de Cantico canticorum, quantum tempus illud infirmitatis meæ permisit, moraliter tantum, intermissis mysteriis Scripturæ illius, quia sic volebam, et sic petieram ab eo. Singulisque diebus quæcunque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat, et memoria me juvabat. In quo cum benigne et sine invidia exponeret mihi, et communicaret sententias intelligentiæ et sensus experientiæ suæ, et multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo discuntur, etsi intelligere non poteram adhuc quæ apponebantur mihi, plus tamen solito intelligere me faciebat quid ad ea intelligenda deesset mihi. Sed de his huc usque dixisse sufficiat.

60. Cum autem, instante Dominica quæ Septuagesima denominatur, vespere sabbati Dominicam ipsam præcedentis, jam tantum convalessem ut valerem de lecto per me surgere, et solus exire et intrare possem, cœpi disponere de reddito nostro ad fratres nostros. Quod ipse auditum omnino prohibuit, et usque ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditus, et conatum inierdixit. Acquievi facile, cum quod præcipiebatur, et voluntas non abnueret, et infirmitas requirere videretur. Cum autem ultra Dominicam illam Septuagesimæ, a carnibus, quibus usque ad diem illam, ipso præcipiente et necessitate cogente, vesebar, vellem abstinere, et hoc ipsum prohibuit. Super quo cum nec momenti acquiescerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti, sic vespera illa sabbati ab invicem **1086** discessimus; ille tacitus, ad Completorium; ego, ad lectum. Et ecce infirmitatis meæ rabies rediviva, quasi resumtis omnibus viribus pristinis,

A cum tanta me vehementia et ferocitate invadens corripuit, tantaque malignitate tota nocte illa devastando cruciavit, supra vires, supra virtutem, ut de vita desperans, vix saltem usque ad diem, ut vel semel adhuc loquerer Viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxissem, summo mane accersitus ille advenit, non tamen afferens mihi, quem solebat, vultum compatiens, sed quasi arguentis. Subridens tamen: « Quid, » inquit, « hodie comeditis? » Ego vero qui jam, ipso tacente, hesternam inobedientiam certissime interpretabar causam esse illius afflictionis meæ: « Quidquid, » inquam, « præcipietis. » « Quiescite ergo, » ait, « non moriemini modo. » Et abiit. Et quid dicam? Confestim et omnis dolor abiit: nisi quod fatigatus nocturno illo dolore meo, tota ipsa die vix de lecto surgere prevalui. Quis enim aut qualis fuit ille dolor? Non recolo similem me aliquando fuisse perpessum. In crastino autem sanus factus sum, et vires recepi: et paucis interpositis diebus, cum benedictione et gratia bona hospitalis mei, ad propria reversus sum.

#### CAPUT XIII.

*De fama sanctitatis ejus ubique divulgata, et ipsius Clare-Vallis mirabili propagatione. Item de spiritu prophetice ipsi concessio.*

61. Cumque dilectus Deo et hominibus Bernardus in illa valle sua et vicinis civitatibus et regionibus, quas aliquoties eum invisere domesticæ entræ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus et miraculis, cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu charitate fratrum, seu obedientia majorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes ecclesias et principes sæculi reformare, causas humano sensui et consilio interminabiles, auxilio Dei pacifice terminare, et, virtute potius fidei quam spiritu hujus mundi, de multis hujusmodi impossibilitibus possibilita faciendo, quasi montes transferendo, magis ac magis in oculis omnium mirabilis et venerabilis apparere. Maxime vero in tantum in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, ut dura etiam corda auditorum ad conversionem emolliret, et vix aliquando vacuus domum rediret. Postmodum vero feliciter proficiente et usu sermonis, et exemplo conversationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei tam copiosas piscium rationalium multitudines cœpit concludere, ut de singulis ejus capturis navicula domus illius impleri posse videretur. Unde factum est ut in brevi majori miraculo præ omnibus quæ in vita gessit miraculis, per unum hominem languidum et seminecem, et tantummodo loqui valentem, obscura usque ad illud tempus illa vallis, et re et nomine Clara-Vallis efficeretur, diviniæ ejusdem claritatis lumen, qua si de summo quodam apice virtutum diffundens in devexa terrarum. Et extunc apud vallem illam, quæ prius dicebatur vallis Absinthialis et amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuerat et sterilis ab omni bono, cœpit abundare spirituali

frumento, et de rore cœli et benedictione Dei in tantum pinguescere omnia deserta ejus, et multiplicata gente magnificare lætitiâ, ut impletum in ea videatur quod olim per prophetam dictum est ad civitatem Jerusalem: *Adhuc, inquit, dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est locus, fac locum ut habitemus. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non parturiens, et istos quis enutrivit? (Isa. XLIX, 20, 21.)*

62. Jam enim de locis angustioribus vallis illius, domus claustralis habitationis, non sine divinis quibusdam revelationibus translata in locum planiorem et spatiosum, magnificata ibi et amplificata sunt, et adhuc multitudini inhabitantium ipse locus angustus est. Jam domus Ordinis illius, filia domus ipsius, citra et ultra Alpes et maria, deserta plurima impleverunt, et adhuc sunt et quotidie confluent, quibus locus quærendus est. Et petuntur undique fratres et mittuntur, cum beatos se æstiment reges gentium et præules Ecclesiarum, **1087** civitates et regiones, quæcunque de domo illa et disciplina Viri Dei meruerint contubernium aliquod adipisci. Quid dico? Ultra homines, usque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exiit humanam, religio hæc profecta est: ubi per eam bestia silvæ homines fiunt, et cum hominibus assuetæ conversari, discunt cantare Domino canticum novum. Quapropter piscator Dei, præcipiente Domino, non cessat laxare retia in capturam; et aliis abeuntibus, aliis succedentibus in locum eorum, nunquam sanctæ illius congregationis minuitur plenitudo. Hoc usque nunc egerunt et quotidie agunt mirifica ejus capturæ, Catalaunensis, Remensis, Parisiacensis, Maguntinensis, Leodiensis, et aliarum nonnullarum civitatum; Flandriæ quoque et Germaniæ, Italiæ, Aquitaniæ, et aliarum regionum, quascunque quacunque necessitate contingit aliquando, seu adhuc usque hodie contingit Virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratia Spiritus sancti, quocunque vadit, plenus redit, et sua eum plenitudo ubique comitatur.

63. Nec dimittit suos, quos a se transmittit; sed ubicunque sunt, et ipse semper paterna sollicitudine cum eis est: et sicut ad locum unde exeunt flumina revertuntur, sic ad ipsum quotidie seu læta, seu tristia filiorum suorum. Sæpe etiam sine omni revelatione carnis ac sanguinis, paterna ejus sollicitudine divinitus innotescit quid circa aliquos eorum longe a se distantes agatur si quid eis providendum, si quid in eis emendandum sit, tentationes et excessus eorum, infirmitates et obitus, et quarumlibet secularium tribulationum incursum. Nam et pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit. Nonnunquam etiam morientes in locis aliis ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem ejus et licentiam postulantes: nimirum hoc agente et obedientia mis-

sorum, et charitate mittentis. Veneram aliquando ad eum, et dum loquerer ei, vidi et audivi quod silere non debeo. Aderat monachus quidam Fusiensis, continuo ad suos rediturus. Cumque, accepto responso super his pro quibus venerat, jam ab eo egrederetur, in spiritu et virtute Eliæ revocans eum Propheta Dei, et nomine fratris cujusdam de domo illa præmissa, de occultis quibusdam me audiente mandavit illi ut ea corrigeret: sin autem, super se iudicium Dei in proximo expectaret. Stupefactus ille, quis hoc ei dixerit requisivit. « Quisquis, » inquit, « dixerit mihi, tu vade, et dic quæ ego dico tibi; ne, si dissimulaveris, te quoque involvat par poena peccati. » Mirabar super hoc, sed miranti mihi in simili penitus causa multo mirabiliora, de eo narrata sunt.

64. Guido namque, frater ejus major natu inter fratres suos, cujus gravitatis et veritatis fuerit vir, omnes sciunt qui eum scire potuerunt. Hic, cum simul aliquando [al. alicubi] essemus, et de hujusmodi loqueremur, et quærerem ego ab eo, sicut jucundæ ad amicos colloquutionis esse solebat: « Fabulæ, » inquit, « sunt quæ auditis. » Cumque suo more et solito studio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet esse molestus: « Quæ, » inquit, « nescio non dico vobis; sed unum scio et expertus sum, multa ei in oratione revelari. » Deinde narravit mihi quomodo, cum primo melli flua illa spiritualium apum alvearia nova de se examina circumquaque proferre, novasque ex eis domos Ordinis sui ædificare cœpissent, petente et agente domino Guillelmo episcopo, in episcopatu Catalaunensi eam, quæ Trium-Fontium (28) dicitur, construxerunt. Ad quam cum abbatem cum monachis emisissent dominum Rogerium, virum nobilem secundum sæculum, sed nobiliorem sanctitate, et viros quosdam similis formæ cum eo, spiritualis Pater filios, quos emisit, non dimisit, sed paterna sollicitudine et pia affectione cum eis erat. Unde cum die quadam soli simul essent Abbas et ipse, cujus hoc relatione didici, et de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur, subito altius suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente: « Vade, » ait fratri suo, « ora pro eis; et quidquid de eis ostenderit tibi Deus, refer ad me. » Ipse enim gravissima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. At ille vehementer expansens **1088**: « Absit! » inquit, « non sum qui hoc modo noverim orare, qui hoc merear impetrare. » Perseverante tamen eo in sententia, itum est, et oratum. Orans ergo quantum prævaluit, pro singulis effudit animam suam: tantaque per singulos in orando perfusus est suavitate conscientia, tantaque impetrandi fiducia, et omni gratia spiritualis consolationis, ut in omnibus certa fide exauditus se exultaret spiritus ejus, exceptis duobus, in quibus oratio titubavit, hæsitavit devotio, fiducia (28) *Trois-Fontaines*, in ducatu Barensi, fundat. an. 1118.